

plicantes unctionem supplerent, vel indè ratiocinando eduxissent: nullus omninò, vel explicando supplevit, vel ratiocinando eduxit, plures etiam apertè negarunt: uti Patres Concilii Moguntini Cap. 18. *Hoc Sacramentum, inquit, ab initio sola manuum impositione adhibitum, mox sub ipsis Apostolorum temporibus ex eorundem traditione adhibita chrismatis unctione capiti conferri.* (**). Verùm complura antiquorum Patrum, et Scriptorum testimonia, quæ de unctione loquuntur, Sacrarum Litterarum verba interpretasse videntur. Synodus Moguntina, quæ tot à Confirmationis institutione sæculis coacta est an. nimirum 1549. profectò in re facti decepta est. (*)

4. Si utraque Sacramento *essentialis* habita fuisset, profectò una ab altera indivulsa fuisset, imò unum morale constituissent. At contra post lavacrum regenerationis, et unctionem, ante verò manuum impositionem, vestium candidarum indumentum recenset Ambrosius: *Lib. II. de Sac. cap. 7.* Mellis, et lactis societatem, qua Christus suos infantat Tertull. *Lib. I. contra Marcionem.* Vestis albæ adsumtionem Cyrillus *Catech. IV. Mystag.* (**). At verò sacra Unctio non videtur *formaliter*, ut ita dicamus divulsa, sed *materialiter* duntaxat, et ministrandi ordine. (*) Tum Presbytero, imò et aliquando Diacono permissum baptismum, permissa et unctio; at manuum impositio semper vetita, nisi vel super energumenos ex Innocentio I. *Ep. ad Decentium*, et ex Conc. Carthag. IV. vel super catechumenos ex Synodis Hispaniensibus. Hinc profectò emicat Unctionem antiquitùs habitam fuisse tanquam baptismi ritum, vel potiùs mediam inter Baptismum, et Confirmationem; illius quidem perfectivam, hujus verò præambulam. (**). Sed antiquitùs sicuti omnium ferè Sacramentorum collatio Episcopis reservata erat Syn. Hispal. II. *Can. VII.* ita Episcopo jubente, uti reliqua, ita etiam Confirmationis Sacramentum Presbyteri ministrare poterant: Syn. Tolet. I. *Can. XX.* (*)

5. Postremò non idem specie chrismata latinum, et græcum. Latinum est oleum simplex cum modica balsami quantitate commixtum: græcum verò ex Auct. *Eccles. Hierarch.* Collectio est bene spirantium materiaram; et ex Euchologiis Goarii, et Hamberti oleo balsamum, et tres, ac triginta aromatum suaveolentium species admiscuntur librarum pondere fere nonaginta; quæ non modico vino commixta, et igne diu concocta unguentum componunt ab oleo specie diversum; et quidem 1. entitate, 2. virtute, 3. effectu. *Entitate:* olea enim, præsertim aromatum igne concreta, non sensibilibus modo, verum et insensibilibus invicem partibus resoluta formam priorem immutant, ac novam compositi totius adsumunt: et quidem eo tenaciùs, quo ramosæ partes invicem intextæ firmiùs adhærescunt, ac difficiliùs in pristina resolvuntur; adeo in tertiam quandam, quæ chemicis, et physicis Balsamum propriè dicitur, entitatem coalescunt. *Virtute:* potentissima enim læc sunt, et caustica præ oleo simplici, quod blandissimum est, ac vitæ delicium. Demùm *effectu:* illa enim incedunt, exurunt, penetrant, adstringunt; oleum contra molliendis, relaxandis, fovendis partibus adcommodatum. Jam verò si hæc in aqua mutatio fieret, nullus aquam hanc artefactam, specie diversam à simplici, adfirmare detrectaret baptismo prorsus ineptam. Quum igitur essentielles Sacramentorum materiæ immutabiles sint, et eadem in Ecclesia fuerint, ac nunc sunt, uti eruditè demonstrat Morinus *de Administr. Sacrament. Pœnit. VIII.* 18. et sanioris doctrinæ Theologi docent; quisnam, quæso, unctionem apud Latinos, et apud Græcos specie diversam essentialem Confirmationis materiam jure adfirmare quiverit? (**). Verùm non videtur specie diversum chrismationis elementum apud Græcos, et apud Latinos; hoc enim neque est oleum, neque balsamum; sed oleosa res, et ad unguendum idonea, hæc ita sumpta materia, eadem est in utraque Ecclesia. (*)

Sunt et alia argumenta, quæ ab Sirmondo, Sambvio, aliisque hujus sententiæ patronis producuntur; præcipua indicasse satis esto ad dignoscendum quam gravi culpæ se reddat obnoxium, qui manuum impositionem recipere negligeret: Sacramentum enim periculo nullitatis exponeret. Verùm ubi ex ignorantia ommissa sit, Sacramentum iterandum non est, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat omissum: *Cap. 1. de Sac. non iterandis.* Porrò de hoc capite fusiori calamo agemus in nostris *Antiquitatibus Christianis.*

XXIX. Illud hic adnotare lubet: scilicet antiquissimam esse Ecclesiæ praxim, ut Chrisma non nisi ab Episcopo conficiatur, à quo diocesani Archipresbyteri, vel Parochi illud singulis annis accipiant: Concil. Carthag. IV. *Can. XXXVI.* Qua de re Syn. Tolet. I. an. 400. *Can. XX.* decernit: *Quamvis pæne ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat: tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, Chrisma facere, et per Diocesim destinare.* (**). Idem tradit Syn. Bracar. I. Cap. XIX. alias *Can. XXXVI.* *Item placuit, ut si quis Presbyter post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere... a suo officio deponatur, nam et antiqui hoc Canones veterunt.* (*) Porrò praxis chrismata conficiendi in Cæna Domini non nisi sæculo VI. inducta videtur: ipsius enim prima occurrit mentio in Sacramentario S. Gregorii, quod per illud temporis conscriptum est.

CAPUT QUARTUM.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

I. Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi à S. Paulo, et ab antiquis Patribus aliquando dictum *Cæna Domini, Communio, Eulogia, Viaticum &c.* ut plurimùm *Eucharistia* appellari consuevit, quod in ejus usu Deo gratiæ agantur: Justinus *Ap. 2.* id quod et ipse Christus præstitit in ejus institutione. Non nisi à Sacerdotibus, dum Missæ sacrificium peragunt, consecranda est: atque adeo ipsamet non Sacramenti modo rationem habet, verùm et divinum novæ legis Sacrificium constituit, cujus ministri soli Presbyteri à Christo Domino instituti sunt. Diaconi tantummodo ex Episcopi, vel Presbyteri delegatione illam administrandi potestatem habent: quo munere antiquitùs quam sæpissimè fungebantur. Eucharistiam enim ab Episcopo acceptam ad absentes Diaconi deferebant: Justinus *M. ibid.* Tum etiam in quibusdam Ecclesiis illam in Missa solemnè fidei populo distribuebant. Verùm præcipuè Diaconis Dominici Sanguinis dispensatio concedita erat; (**). uti à Sixto P. commendatam fuisse sancto Levitæ, invictissimoque Christi Martyri Laurentio, legimus apud Ambrosium *Lib. I. Offic. cap. 14.* (*) Excipere Presbyteros, qui illam *immediate* ab Episcopo, vel Presbytero loco Episcopi celebrante accipiebant: Syn. Nicæn. *Can. XIV.* Verùm ex quo desiit communio laicorum sub specie vini Diaconi ea prærogativa privati sunt; id quod sæculo XII. vergente, et XIII. ineunte contigisse videtur. (**). Adhuc tamen seculis temporibus non nihil amissæ prærogativæ vestigiæ retinuisse visi sunt Diaconi, quippe qui absente Sacerdote, Eucharistiam infirmis ministrare potuerunt, ex concessione Andreæ Albalati in Constit. Synod. Valent. an. 1255. *Const. de Corpore J. Christi.* (*)

II. Jure novo solis Parochis Eucharistiæ administratio reservata est: hinc in Clement. I. *de Privilegiis Religiosi* sub pœna excommunicationis ipso facto incur-

renda vetantur absque speciali Presbyteri Parochialis licentia Eucharistiam cui-
cui sive Clerico, sive laico administrare. Verùm secutis temporibus non modò
Presbyteri quicumque, verùm et Religiosi dum Missæ sacrificium peragunt cuique
illam petenti porrigunt: id quod et hodie dum obtinet. Qua de re jus Parochiale
ad solam communionem Paschalem, et Viatici administrationem redactum est.

III. Olim statim post collatum Baptismum recens in Christo genitis non adul-
tis modò, verùm et infantibus Eucharistia impertiri consuevit: quam quidem con-
suetudinem ad sæculum usque XI. in aliquibus saltem Latinis Ecclesiis viguisse
haud obscurè indicat Hugo à S. Victore, qui ea tempestate scripsit. Apud Græ-
cos etiamnum eadem disciplina servatur, uti ex eorundem Ritualibus, atque Eu-
chologiis colligitur, testaturque Græcorum rituum peritissimus Arcudius de Sacr.
Euchar. *Lib. III. cap. 2.*

IV. Verùm secutis temporibus contraria in Ecclesiam consuetudo inducta est;
scilicet ut Eucharistia pueri non reficiantur, nisi ubi *ratione ætatis, et discretionis*
ejusdem cælestis doni capaces fuerint. Syn. Dioces. Neap. an. 1694. *Part. II.*
cap. 4. Quæ et *ibid.* tum vetat, ne quis *ad primum divini Corporis convivium*
accumbat, qui facultatem non obtinuerit a Parocho; tum et ipsimet Parocho man-
dat, ut ipse puerulos *instruat, declaretque omnia quæ de hoc Sacramento fides*
tradit, ac edoceat animi præparationem, et modum, quo ad recipiendum ipsum
Deum sub specie panis latitantem accedere debent. (**) Ætas verò non quælibet
Conciliis Hispaniensibus satis visa est, ad sacram Communionem accipiendam;
sed *a duodecimo ad decimum quartum annum...* *pro judicio, et sententia Con-*
fessoris... *Eucharistiam recipiant.* Syn. Valent. an. 1565. *Sess. II. Tit. II. Cap.*
13. (*) Ceterùm pueros in extremis agentes qui Pœnitentiæ Sacramento capaces
fuerint, sacro Viatico munire Parochi non dubitent: Benedict. XIV. de Syn. Dioc-
ces. *Lib. VII. cap. 12.*

V. Infideles, catechumeni, hæretici, Ecclesiasticis censuris obstricti, ac gene-
ratim notorii quique peccatores, uti publici usurarii, homicidæ, blasfemi, concubi-
narii &c. à sacro convivio arcendi sunt: neque enim fas est *sanctum dare canibus,*
aut projicere margaritas ante porcos: II. Syn. Prov. Neap. *Tit. III. cap. 4.* (**)
Curatus enim nulli Eucharistiam in peccato mortali publice perseveranti minis-
tret, occulto autem peccatori publice non neget, instar Christi, buccellam Judæ
proditori tradentis: Synod. Tolet. an. 1323. *Cap. XIV.* (*) Quod verò ad publi-
cos peccatores spectat satis non est, ut sint sacramentaliter confessi, verùm et re-
quiritur, ut publico scandalo satis fecerint. (**)
Occultos autem peccatores, si
occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat. *Rituale Roman. de Sacr.*
Euchar. ()*

VI. *Mortis supplicio perituris Eucharistiæ Sacramentum non est subtrahend-*
dum, ait I. Synod. Provinc. Neap. Porro *ante diem quo mortis supplicium subi-*
turus est reus, Eucharistia ei conferatur, vel saltem mane ejusdem diei, quo ad
mortem trahendus est, nullique dubium sit ad id de jure Parochos teneri. Idem
habet V. Syn. Prov. Mediol. *Const. X.* Eadem praxis viget quoque in universa
Italia, et Germania: at contra in Galliis, et in Hispaniis reis ultimo supplicio dam-
natis, etiam pœnitentibus, contritis, ac confessis Eucharistia non conceditur: Gas-
par Juenninus *Instit. Theolog. de Sacrament. Dissert. IV. Cap. 5.*

(**) VII. Adserit Selvagius neque in Hispaniis etiam, necis sententia damna-
tis Eucharistiam concedi, idque proferens Juennini testimonium; verùm (tanti vi-
ri venia dixerimus) deceptus plane est. Juenninus quippe loco citato Dominici
Soto auctoritate nixus, obtinuisse olim in Hispania, non ait obtinere nunc, quod

SS. Eucharistiæ Sacramentum extremo supplicio puniendis negaretur. Quinim-
mo Silvium, aliosque contrariæ nunc usitatæ consuetudinis testes adducit. Porro
etsi Alphonsus Sapiens *Leg. VII. Tit. XIII. Part. I.* capitali pœna plectendis si
petierint, Eucharistiam conferendam esse decrevisset, lex tamen ista vel ad pra-
xim redacta non est, præsertim quum aliquibus in grave Ven. Sacramenti dede-
cus cedere visum esset, quod ob atrociora crimina damnatis traderetur, uti An-
dræ Albalati in præf. *Constit. de Corpore J. Christi §. fin.* vel Soti ævo jam exo-
leverat. (*)

(**) VIII. Neque miretur quispiam Hispaniam nostram, Eucharistiam id ge-
nus hominibus denegasse. Sciat oportet Synodum Illiberitanam spem omnem via-
tici, pacis, reconciliationis, communionis, etiam in fine vitæ recipiendæ gravissimo-
rum patroribus criminum abstulisse. Sciat quoque Synodum Bracar. I. *Cap.*
XVI. alias *Can. XXXIII.* constituisse, quod de his *qui pro suis sceleribus pu-*
niuntur nulla fieret commemoratio, neque eorum cadavera cum psalmis ad sepul-
turam deferrentur. Et quamvis Syn. Wormat. an. 868. *Can. X.* in contrariam
abierit sententiam, pristinam tamen Hispania morem maluit retinere. (*)

(**) IX. Verùm duodecim annis ab edito Dominici Soto volumine I. *in IV.*
Sententiarum anno videlicet 1557. ex cujus *Distinct. XII. Q. I. art. 11.* notitiam
hauserat Juenninus, Philippus II. mox editam Pii V. Constitutionem, qua sanc-
tum erat, ut reis sanguinis sententia damnatis SS. Corporis Christi Viaticum tri-
bueretur, sua confirmandam sanctione decrevit, die 27. Martii an. 1569. quæ in-
serta est *Lege IX. Tit. I. Lib. I. Novæ Recop.* ex tunc nullum unquam Hispania
reum Eucharistia privavit, sed eisdem pridie quam ad necem educantur, con-
fertur. Quæ quum ita sint, mirari subest, quod exteros ut plurimum scriptores
omnes (si paucos excipias) et præcipuè Selvagium Neapolitanum hominem mo-
res, eique non recens inventi in Hispania latuerint. (*)

X. Ævo Apostolico, primisque Ecclesiæ sæculis Fideles vel quotidie, vel plu-
ries per hebdomadam Christi Corpus accipiebant: neque enim quis divinis myste-
riis interesse permittebatur, nisi qui et offerre, et de oblati participare posset: id
quod diu vixit, uti eruditè demonstrat Card. Bona *Rer. Liturg. Lib. II. Cap.*
XVII. §. 2. (**)
At non ubique ea vixit disciplina, ut quotiescunque Sacris inter-
essent fideles, de SS. Christi Sacrificio participare cogerebantur. Synodus enim
Tolet. I. *Can. XIII.* non in eos, qui Ecclesias ingressi aliquando non communi-
carent, sed in eos tantummodo invehitur, qui nunquam communicabant; constat
tamen in Hispania frequentissimè, Dominicis præsertim, festisque diebus ad Sa-
cram Synaxim accedere consuevisse, et ii duntaxat qui urbes, vel nobilissima op-
pida incolebant, ubi Episcopus aderat, vel Presbyteri; quocirca Syn. Illiberit.
Can. XXI. eos tantum qui in *Civitate erant positi,* Dominicis diebus Ecclesiam
adire cœgit. Quum enim ob Presbyterorum inopiam Vici quandoque Diaconis re-
gerentur, ut indicat eadem Syn. Illiberit. *Can. LXXVII.* qui eas inhabitabant
fideles non nisi seriùs Missæ interesse, atque de Sacra participes fieri Commu-
nione poterant. Neque ad veterem quotidianæ Communionis usum cum Roberto Sa-
la in Notis ad Card. Bona loco cit. proferas *Can. XXVIII.* Synodi Illiberit. nos
enim hujus disciplinæ nec minimum vestigium ex hujusmodi Canone, vel augu-
rando, educere potuimus. (*) Verùm deinde tepescente charitate sensim res eo
delata est, ut plures Syn. (**)
à sæculo VI. celebratæ, præcipuè Agathen. an.
506. *Can. XVIII.* et Compost. an. 1056. *Cap. I.* (*) decreverint, laicos ter saltem
per singulos annos communicare debere. Tandem remisso per universum orbem
pietatis studio Ecclesia veluti coacta est præceptum suum ad annuam Commu-
nio-

nem restringere. Conc. Later. in *Cap. Omnis utriusque sexus 12. de Pœnit. et Remiss.* Id quod (**) primo servandum injunxit in Hispania Syn. Vallis-olet. *Cap. XXVIII. (*)* et firmavit Syn. Trid. *Sess. XIII. Can. IX. de Eucharistia.* (**) Optaret nunc Ecclesia pristinam illam renovare disciplinam, quæ fere ubique quondam vigeat, quod in *singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* Trident. *Sess. XXII. cap. 6.* Sed quum fieri non posse cognoscat in hac præsentem tempestate, satis visum est Hispaniarum Patribus, ut Parochi *plebem sibi commissam sedulo doceant, quam salubriter hoc Sacramentum... mentem nostram reficiat, sustentet, ac roboret... et ad frequentem illius usum eos hortentur, et alluciant.* Syn. Valent. *Sess. II. Tit. II. cap. 19.* Diu et acriter de Sanctissimæ Communionis frequentia disceptatum est. Controversia ad Innocent. XI. delata, tota res in prudenti Confessorum judicio tandem posita est. Caveant tamen Confessarii, ne summi negotium momenti liberæ ipsorum potestati, ac arbitrio relictum credidisse videantur. Id unum cogitent oportet, extrema nempe benignitatis, et rigoris, superstitionis, et impietatis vitanda. Recentiora Concilia nostra bis, aut ter in anno Clericos, et Sacris initiatos nunc ter, nunc septies ad Eucharistiam percipiendam adstringunt. Videsis Compil. Tarracon. in *Constit. Superfl. de Pœnit. Cap. 2. ex Lib. V.* Syn. Hispal. an. 1512. *Cap. XXIV.* Valent. an. 1565. *Sess. III. Tit. III. cap. 5.* Syn. Trident. *Sess. XXV. de Regul. cap. 10.* Moniales admonet *ut saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant, et Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant.* Verùm frequentior est hodiernus Sacramentorum usus; utinam fructuosior. (*) Porrò annuæ Communionis præceptum jure communi non nisi in Ecclesia Parochiali; at ex disciplina Ecclesiæ Neapolitanæ, vel in Ecclesia Cathedrali, vel in propria Parochia, et quidem tempore Paschæ h. e. à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè adimplendum est, *nisi justam ob causam, et ex consilio proprii Sacerdotis in aliud tempus differre oportuerit.* I. Syn. Prov. Neap. *Cap. 15. de Eucharistiæ Sacramento.* Pro Civitate, et Diœcesi Neapolit. venia Congregat. Conc. tempus, quo annuæ Communionis præceptum est adimplendum, primum an. 1694. ad diem usque Ascensionis, dein an. 1743. ad Festum usque Trinitatis prorogatum fuit. (**) Ex præscripto Syn. Valent. *Sess. II. Tit. II. cap. 20.* unusquisque in sua Parochia annuæ Communionis præceptum adimplere debet *alioqui ut præcepti Ecclesiastici transgressor habeatur;* quin et Syn. Tolet. an. 1565. *Act. III. de Ref. cap. 24.* declarat, *neminem præcepto huic satisfacere, nisi a proprio Parocho, aut ab alio de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia Sacramentum Eucharistiæ susceperit.* Idcirco nullibi nisi in Parochialibus Ecclesiis, Sacramentum Communionem in Dominica Paschatis ministrandam decrevit S. R. C. apud Benedict. XIV. de Syn. Diœces. *Lib. IX. cap. 16. (*)*

(**) XI. Profecto ad annuæ Communionis præceptum implendum prima Paschatis dies communi jure adsignata creditur, idque satis apertè prodit ead. Syn. Tolet. *ibid.* Verùm moribus jam pridem inductum est, ut ad alios etiam dies Paschale tempus protendatur. Non una est hodierna praxis in cunctis Hispaniarum Diœcesibus. Quædam sunt, in quibus tempus Paschale intelligitur à Dominica tertia, vel quarta Quadragesimæ ad Dominicam in Albis; sunt et aliæ, inter quas Toletana, in quibus Paschalis terminus inter Dominicam Palmarum, et Dominicam in Albis circumscribitur. Peculiaris, et laudabilis profecto est in nostro Regno usitata disciplina, atque eo fine à Synodis Provincialibus stabilita, ut nullus possit parochus ignorante præceptum subterfugere. Malè audiat, esto, apud exte-

rorum aliquos hæc Hispaniensis Ecclesiæ consuetudo, nobis satius est decretis adhærere Syn. Salmant. an. 1335. *Cap. XVI.* Hispalens. an. 1512. *Cap. VII.* Valent. an. 1565. *Sess. II. Tit. II. cap. 14.* et Compil. Tarracon. *Lib. V. Tit. XVI. Cap. 3.* quam levissimorum hominum cavillationes vel audire. (*)

XII. Ægroti quoque, et in carceribus detenti annuæ Communionis præcepto obstringuntur. Quinimmo diutino morbo laborantes salutaribus monitis hortetur Parochus, ut semel saltem singulis mensibus Eucharistiam percipiant: II. Syn. Prov. Neap. *ibid.* Porrò in deferenda infirmis Eucharistia plura Parochis observanda sunt. Ac 1. distinguant inter Communionem *per modum viatici,* et *ex devotione:* illam enim tanquam jamjam morituris, quamvis non jejunis, dabunt, et quidem peculiari forma, quæ præscribitur in Rituali Rom. *Accipe frater &c.* Hæc verò ceteris infirmis pietatis studio communicantibus, non nisi ante omnem cibum, et potum conferenda est; ita ut ne per modum quidem medicinæ antea quidquam illis sumere liceat. 2. Parochus diu, noctuque præsto sit ad Eucharistiam infirmis deferendam, ne ejus negligentia quis sine hoc tutissimo, potentissimoque viatico decedat. (**) Oportet igitur ut *Parochi sit diligentes in administrando Sancta Sacramenta... exhortando, ac requirendo suos Parochianos infirmos, ut confiteantur, et Sanctum Sacramentum Eucharistiæ recipiant.* Syn. præf. Hispal. *Cap. III.* ita ut Parochum ob *ejus culpam, et negligentiam sine Pœnitentia, et Eucharistia recedunt fideles suo Beneficio perpetuo* privandum constituit Syn. Penna-fid. an. 1302 *Cap. III.* ac ab *Officio perpetuo, et Beneficio* Syn. Salmant. *Cap. XVI. (*)* Jam indè enim ab antiquissimis temporibus Ecclesiæ quammaximè semper id curæ fuit; adeo ut furentibus tyrannorum persecutionibus fidelibus eam etiam domi retinere permiserit, ut mortis urgente discrimine tanto muniti viatico alacriori animo ad martyrium properarent. 3. Eucharistia non nisi publicè, ac pio fidelium, ac præcipuè Clericorum comitatu ea, quæ tantum Sacramentum decet, veneratione, ad infirmos deferenda est. Parochi igitur partes erunt *populum sæpiissime hortari, ut frequens, assiduusque illam comitetur. Ea de re Societates Corporis Christi in Parochiis instituantur, ut audito campanæ sono, omnes adcurrant. Si enim erga umbram tam celebrem cultum pius, ac sanctus ille Rex David legitur exhibuisse, quid faciendum erga purissimam illam arcam ubi omnis inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter?* I. Syn. Prov. Neap. *ibid.* et V. Syn. Prov. Mediol. *Const. X. (**)* Itaque Parochus Sanctissimum Christi Viaticum ministraturus, incedat necesse est *indutus superpelliceo mundo, et ad collum Orarium deferendo, velamine etiam mundo supra Calicem* (qui Pixidis loco erat) *posito honorifice ante pectus deferat cum omni reverentia, et cum Cruce, lumine præcedente, alteroque campanæ sonitum faciente, ut ex hoc apud fideles major devotio... augeatur... et singulis Christi fidelibus, adsociantibus Sanctum Christi Corpus quum ducitur ad infirmos, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis in domino relaxamus.* Ita laud. Syn. Salmant. *Cap. VI.* quin et sæpius præf. Syn. Hispal. *Cap. III.* injungit Parochis, ut quoties Ven. Sacramentum ad infirmos detulerent post regressum ad Ecclesiam *declarent omnibus, qui illud fuerint comitati qualiter fuerint lucrati Indulgentias a Sanctis Patribus concessas, et ulterius Indulgentiam quadraginta dierum, quam nos eis concessimus pro qualibet vice.* Hispania enim nostra ceteris videtur præcelluisse Nationibus in fovenda fidelium pietate erga SS. Eucharistiæ Sacramentum. Videsis Collect. Jo. Teres *Lib. III. Tit. XXIV. cap. 4.* Joanes I. Castellæ Rex an. 1387. decrevit ut omnes ad unum, ipse etiam Princeps, qui SS. Eucharistiæ Sacramentum dum defertur ad infirmos occurrerint, teneantur dimisso ad humum etsi conspurca-

tum utroque poplite Ven. Sacramentum adorare, ipsumque usque ad Ecclesiam comitari: *Leg. II. Tit. I. Lib. I. Nov. Recop.* Hoc est insigne religionis exemplum. Dum enim subditi Supremam Regni Potestatem conspiciunt, de curra descendere, eum cedere Regi Regum Jesu Christo, ac deposita Majestate pedestrem incedere, quasi vi quadam ad pietatem proculdubio stimulantur. Hoc exitatus exemplo Supr. Castellæ Senatus eundem à se cultum SS. Eucharistiæ Sacramento deferendum voluit, imposita sibi lege die 27. Maii an. 1711. *Sanct. III. Tit. I. Lib. I. vulgo Autos Acordados. (*)*

XIII. Quamvis antiquitus SS. Eucharistiæ Sacramentum non nisi in Missa fidei populo adorandum exhiberi consueverit: deinde tamen mos in Ecclesiam inductus est, primum ut publice per plateas sollempni pompa circumferretur, dein etiam ut in altari publicæ fidelium venerationi proponeretur. Illud sæculo XIV. primum obtinuisse videtur: neque enim apud Urbanum IV. sollempnitatis Corporis Christi institutorem, neque apud S. Thomam, aliosque ejusdem ætatis Scriptores quidquam de ejusmodi processioneibus, sive supplicationibus occurrit; sed primum eorumdem meminit Conc. Senonense an. 1320. Hoc verò ex ipsius Sacramenti publica, ac visibili circumgestatione verisimiliter originem sumsisse demonstrat Jo. Baptista Thiers in *Dissert. de Exposit. Ven. Lib. II. cap. 1.*

XIV. Publicas Ven. Sacramenti æquè circumgestiones, sive processiones, ac expositiones præscribere, ac ordinare propria Episcoporum auctoritas est. Hinc Regulares ex pluribus S. Congr. Concilii decretis vetantur in suis Ecclesiis etiam ex causa publica SS. Eucharistiam publicè exponere, vel extra claustra circumferre, nisi venia ab Episcopo petita, et obtenta. (**). *Syn. Valent. Sess. IV. Tit. III. cap. 10. alias 12.* Imò neque Episcopis licet repetitas SS. Eucharistiæ, vel expositiones, vel processiones concedere, *ne SS. Sacramentum* (ut ait. mox laud. *Syn. Hispal. Cap. XVIII. in tantam familiaritatem trahatur, ut aliquod vilipendium irrogetur. (*)*

(**) DE CELEBRATIONE MISSARUM.

ARTICULUS I.

DE INTERIORE ANIMI PRÆPARATIONE. (*)

(**) XV. Præcipuum Sacerdotum munus est SS. Corporis, et Sanguinis Christi consecratio. Sciunt igitur oportet Sacerdotes, summam ab eis impendendam esse curam ut qua fieri possit reverentia Eucharistiæ Sacrificium peragatur. Unde Sacratissimam rem Sacerdos confecturus, sciens fortè se lethali macula inquinatum, pœnitentia prius mundandus est apud Confessarium; uti ante Trident. decreverat *Syn. Tolet. an. 1323. Cap. XIV. cujus copia si desit, et necessitas urgeat, contritus, habens propositum. quum adfuerit illius copia confiteri, poterit celebrare. (*)*

ARTICULUS II.

(**) DE EXTERNA CORPORIS DISPOSITIONE. (*)

(**) XVI. Interiori animi puritati exterior corporis munditia respondeat necesse est, ita ut ne ullum, vel remotissimum vomitus periculum immineat, jejunium, idque sicut vocant naturale, Missæ celebrationi præcedat necesse est. Ita *Syn. Brac. II. Cap. X. Consonant Tolet. VII. Can. II. et ead. Tolet. an. 1323. præf. Cap. XIV.*

id adjiciens, quod si Sacerdos secundam ipso die celebraturus est Missam, in prima non sumat *perfusionem*. Ad externam etiam Sanctissimæ Actionis venerationem spectant indumenta, quæ Missalis Romani Rubricæ præscribunt. Jam à primis Ecclesiæ sæculis obtinuit, ut aliis in civilibus, aliis in Sacris, sed ejusdem formæ vestibus uterentur Sacerdotes. Mutata dein profana vestimentorum configuratione in Republica, pristinam tamen Ecclesia retinere voluit in Officiis. Indè est quod Orarii (nunc Stola) veluti proprio Diaconorum, quod commune quondam erat omnibus vestimentum meminerit jam *Syn. Brac. I. Cap. IX. alias Can. XXVI.* Orarii etiam meminit *Syn. Tolet. IV. Can. XL. alias XXXIX.* quippe quod gestare debebat Diaconus *in sinistro humero... et dexteram partem habere liberam, ut expeditus ad Ministerium Sacerdotale* discurreret. De Orario insuper, quo ab utroque humero pendente in sua Ordinatione Presbyter induebatur, tanquam ad *Missarum solemniam* necessario loquitur *Syn. Brac. III. Cap. IV. at ead. Syn. Tolet. IV. Can. XXVIII. alias XXVII.* Episcopis adsignat *Orarium, Annulum, et Baculum; Presbyteris Orarium, et Planetam; Diaconis Orarium, et Albam.* Tandem verò *Syn. Cojac. an. 1050. Can. III.* constituit, quod *vestes Presbyteri sint in Sacrificio Amittus, Alba, Cingulum, Stola, Casulla, Manipulus: vestes Diaconi Amittus, Alba, Cingulum, Stola, Dalmatica, Manipulus.* Eæ ipsæ sunt, quas hodiernus Romanæ Lyturgiæ ritus expostulat, nisi quod Subdiaconus una excepta Stola, eisdem quibus Diaconus utitur indumentis, quibus nisi Subdiaconus uti nequit, ex præscripto laud. *Syn. Valent. Sess. II. Tit. II. cap. 33.* Ministris etiam inferioribus superpellicei usus præscribitur à *Syn. Tolet. an. 1323. eod. Cap. XIV.* Adhæc Calix necessarius est, *non ligneus, neque fictilis,* uti sanxit præf. *Syn. Cojac. ubi supra,* interiùs deauratus, Purificatorio ornatus, velamineque serico coopertus, et Patena superiùs deaurata. Altare denique lapideum omnino, inibi ab Episcopo consecratum, vel mensa cum Ara lapidea portatili, itidem consecrata tecta mappis, quas sæculo jam VII usitatas legimus in *Syn. Toletan. XIII. Can. VII.* iisque tribus, et Corporali. *Legesis Rubr. Gener. Miss. Roman. §. 20.* Quo pacto ornamenta, vasaque Ecclesiæ mundari, attractarique debeant, vel ab ipso sacratissimo eorum usu edocemur. Addeis eand. *Syn. Bracar. III. Cap. III. Const. Syn. Valent. Cap. de Corpore Christi. Const. Syn. Card. Mendoza Cap. V. Syn. pluries laud. Hispal. Cap. LI. Compil. Jo. Teres. Lib. III. Tit. XXIV. cap. 8.* quin et ipsa *Syn. Hispal. Cap. XXI.* decernit quod, Sacrista, quantum fieri possit, laicus non sit. (*)

ARTICULUS III.

(**) DE ELEMENTIS, EX QUIBUS CORPUS, ET SANGUIS CHRISTI CONFICIATUR. (*)

(**) XVII. Ad venerabile hoc Sacrificium peragendum ex ipsius Christi doctrina panis parari debet, et hic ex farina *tritici*, non alterius frumenti, ut *ex aqua pura, et limpida* confectus, uti decernit *Syn. Penna-fid. Cap. VIII.* quem nos, atque ea ipsa Synodus *Hostiam* adpellamus. Quod panis sive azymus, sive fermentatus aptus sit ad Sacrificium, definitum est ab Eugenio IV. in *Decret. Union.* at in Ecclesia Latina non nisi azymo consecrari licet, ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, id quod innuit ead. *Syn. Penna-fid. ibid.* Verùm ex eo maximè colligitur, perpetuam non fuisse hanc Ecclesiæ nostræ praxim, quod sæculo VII. quum nonnulli Sacerdotes panis usitati fermentati scilicet, frustrum figura rotundum ad